

De fin. III. 18. Officium appellamus, quod ita factum est, ut ejus facti probabilis ratio reddi possit. Quoniam videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus (id autem est perfectum officium): erit autem etiam inchoatum; ut si juste depositum reddere, in recte factis sit, in officiis ponatur, depositum reddere; illo enim addito, juste, fit recte factum; per se autem hoc ipsum reddere, in officio ponitur.

De offic. I. 3. Placet, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panaetio praetermissum esse miror. Omnis enim, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio debet a definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Omnis de officio duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum; alterum, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit. Superioris generis hujusmodi exempla sunt: Omnia officia perfecta sint; numquid officium aliud alio majus sit; et quae sunt generis ejusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea, quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum. Atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur, et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod Graeci *κατόρθωμα*, hoc autem commune *καθῆκον* vocant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant: medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

Triplex igitur est, ut Panaetio videtur, consilii capiendi deliberatio. Nam, honestumne factu sit, an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit; in quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum aut anquirunt, aut consultant, ad vitae commoditatem jucunditatemque,